



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,  
Heroico carmine conscripta**

**Carpenteius, Joannes**

**Antverpiæ, 1588**

Ad C. V. D. Ioannem Carpentarium, Rigiaci Attrebatum Cavssarum  
patronum longè disertissimum, & Poetam præstantissimum, carmen  
Francisci Moschi Niuigellani, I. C.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)



<sup>14</sup>  
D. NATALIS NOVIONII  
Prioris ad D. Ved. Attr.

*Amosida plectrum aptasse, ut diuina Tonantis  
Arcana Aonia voce propheta sonet;  
Et scholiis prisca enodasse anigmata Vatis,  
Omnibus ut possit peruius esse liber:  
Græde opus, immensum, & Phœbeo pectine dignū,  
Nil adeò obscurum pagina sacra dedit.  
Hinc tibi maior honor, tibi, Carpentarie, cohortes  
Inter Apollineas gloria maior erit.*

A D C V D.

IOANNEM CARPENTARIUM,  
RIGIACI ATTREBATVM CAUSSARVM  
patronum longè disertissimum, & Poetam præstan-  
tissimum, carmen Francisci Moschi Niuigellani, I. C.



*Q*uæ Superum Genitor quondam mor-  
talibus agris  
Aurea perpetua voluit monumenta  
salutis  
Cognita, fatidicis suggestit Vatis, ut quos  
Mira arcana docens diuino pectoris haustu  
Cœlitus impleat; dum post longissima Christum  
Sacula transmisit, propria qui voce locutus,  
Supremi pia iussa Patris vulgaret in orbe.  
Et quanquam prisca vates virtute corusci  
Omni-



Omnigena: tamē eloquio, & gravitate Prophetas  
 Anteit Amosides reliquos, & stirpis auitæ  
 Germine pralustris; Solymas hic personat arceis.  
 Centonitru horrifico, scelera inſectatus, & ingens  
 Excidium populis, ni mutant prava, minatus  
 Terrificos igneis, & fulmina vindicis ira.

Aſt ubi purgatam maculis & crimine mentem  
 Calituum exhibeant Regi, mox fulgida nubem  
 Per mediam ſupero axe volans ſe gratia ſiſtet,  
 Et quos culpa nigras fecit, candore polibit.

Artibus his hominum menteis terræq; lutoque  
 Immerſas ad Calicolūm ſupera ardua vates  
 Carminibus reuocat, celſoq; adſigit Olympo.  
 Sed quæ vaticinans mira gravitate profatur  
 Amosides, plerunque latent caligine nubis  
 Conditæ nocturna, & paucis bene peruia lucent,  
 Quæis datur arcanis adytis inſiſtere Diuūm.

At natura boni eſt, ut quæ ſe cunque, licebit  
 Diffundat, pandatq; viam conſortibus aquis.  
 En CARPENTARI modulamine clara diſerto  
 Muſa ſonat, vatemque refert herōica verſu  
 Grandiloquo, tenebrasq; fugat, ceu libera, cæpo &  
 Latipatente vagans, ac eruit abdita quæque.

Quot memorem Hebræos Patres, Græcoſq; La-  
 tinōſque

Aſidue lectos, operi dum incumbere tanto



Te CARPENTARI iuuat, altaq; promere sēsa!  
 His tibi nominibus semper deuincta manebit  
 Posteritas, laudēque canet uentura Nepotum  
 Aetas, quos a deo studiis, & uigiliq; Minerva  
 faueris, ut Vatis possint penetrare uosse  
 Amosida: At laudes te hominum nil, credo, mo-  
 uebunt:

Vberior longē est merces tibi debita calo,  
 Pro tantis scriptis, exantlatōque labore.  
 Quod si Psalmographum, tua cui facunda latine  
 Musa loqui tribuit, facies uolitare per ora  
 Docta uirum, merces cumulabitur, & dec' ingēs  
 Accedet primo decori, & par nobile uatum  
 Per te nobilius grates resonabit Olympo.

D. ROBERTI OBRISII APVD  
 Attrebatē Flamini ad huius Paraphraseos authorē Carmen.

**D**etinuisse tuam longo si tempore Musam  
 Dicar, ego contra dixero, detinuit  
 Me tua Musa melos fundens, sed quale Tibullus,  
 Quale simul iunctus fuderit ore Maro.  
 Obstupui cultus, & frontis amabile philtrum,  
 Et castigata dona pudicitie.  
 Sensit, & in captum defigens lumina, dulci  
 Gutturē productos integrat illa modos.  
 Exilui pauitans, tenuiq; hac murmure dixi,  
 Te tuus accitam, diua, reposcit amor.  
 Vade, nec Amosida tenebris preme carmina vatis,  
 Nec preme Dauidicæ fila canora lyre.

Talis